



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Concilivm Virdvnense, In Qvo Sedes Rhemensis Artaldo adiudicata est,
mense Nouembri celebratum anno DCCCCXLVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

Agapitus
quando
pontifex
factus.

V I T A
A G A P I T I P A P Æ I I .

ANNO
CHRISTI
946.

AGAPITVS Marino succedit, anno Christi DCCCCXLVI. A tempore Constantini VIII. Hic post multas Synodos in causa Hugonis & Artaldi celebratas Rhemensem archiepiscopatu Artaldo adiudicatum confirmauit. Brunoni Colonensi archiepiscopo Ottonis fratri pallium pententi concessit. Debellatis ab Ottone rege magna victoria Danis, iisdemque in Christianam religionem acceptis, gratulatus est Hamburgensi ecclesiae, eiusque priuilegia a maioribus accepta innouauit. *Adam. lib. 2. cap. 2.*

Huius tempore post obitum Lotharii Berengarius regnum Italiæ inuasit. Otto imperator vero ab Adelheide filia Rodulphi reliqua vxore, & Agapito pontifice, fugata tota Berengarii familia, pro suspectis ferendis sollicitatus, Adelheidem reginam, olim Lotharii coniugem, vxorem accepit. Idem regnum integerrime defendit. Agapitus, dum nouem annis mensibus & diebus decem mune-
re pastorali bene functus fuisset, ex hac vita migravit.

C O N C I L I U M V I R D V N E N S E ,

I N Q V O S E D E S R H E M E N S I S A R T A L D O
adiudicata est, mense Nouembri celebratum anno
DCCCCXLVII.

ANNO
CHRISTI
947.

DE hac Synodo scribit Flodoardus tum in chronicō, tum in hi-
storia Rhemensi lib. iv. cap. xxxiii. iisdem fere utrobius
verbis in hunc modum: Anno, inquit, DCCCCXLVII. Con-
uentus placiti regum Ludouici & Ottonis super Charam
fluum, intrante mense Augusto, celebratur, Hugone
princeps circa Mosomum & Duodeciacum castrameta-
to. Vbi res litis inter Artaldum & Hugonem Rhemensis
ecclesiae præsules ab episcopis auditur. Et quia Synodus
tunc conuocata non fuerat, altercatio determinari non
potuit. Synodus autem circa medium mensis Nouemboris
habenda denuntiatur. Interim vero sedes Rhemensis Ar-

ANNO CHRISTI
947. taldo conceditur. Hugo autem præful in Mosomo com-
morari permittitur. *Et post alia*: Synodus prædicta Vir-
duni habita est, præsidente Rotberto Treuerensi præfule,
cum Artaldo Rhemensi, Odolrico Aquensi, Adelberone
Metensi, Goslino Tullensi, Hildebaldo Transrhnenensi
Mimegardovrdensti, Israele Brittone, præsente Brunone
abbate fratre regis Ottonis, Agenoldo quoque, & Odilo-
ne, cum aliis quibusdam venerandis abbatibus. Ad quam
Hugo episcopus euocatus, missis etiam duobus ad eum
deducendum episcopis Adalberone & Goslino, venire
noluit. Vniuersa vero Synodus domno Artaldo Rhemen-
si tenendum adiudicauit episcopium. Indicitur iterum
Synodus Idibus Ianuarii habenda.

ANNO CHRISTI
948. **CONCILIVM MOSOMENSE,**
IN QVO SEDES RHEMENSIS ARTALDO
iterum adiudicata, Hugoni communio usque ad gene-
ralem Synodum interdicta est, mense Ianuario celebra-
tum anno DCCCCXLVIII.

FLODOARDVS *idem in chronico.* Anno, *inquit*, DCCCCXLVIII.
Synodus prædicta celebratur in ecclesia sancti Petri,
ante prospectum castrorum Mosomi, a domno Rotberto cete-
risque Treuerensis diœcenses episcopis, & aliquibus Rhe-
mensis. Veniens autem illuc Hugo præful, & locutus cum
Rotberto, Synodum noluit ingredi: literas vero quasdam
ex nomine Agapiti papæ misit ad episcopos per clericum
suum, qui eas Roma detulerat, nihil auctoritatis canonicae
continentes, hoc tantum præcipientes, ut Hugoni Rhe-
mensi redderetur episcopium. Quibus lectis, ineuntes epi-
scopi consilium cum abbatibus & ceteris sapientibus qui
aderant, responderunt non esse dignum vel congruum,
ut mandatum legationis apostolicæ, quam dudum Rot-
bertus archiepiscopus, deferente Friderico præfule Mo-
guntiacensi, coram regibus & episcopis tam Galliarum quam
Germaniarum susceperebat, & partem iam præceptionis ipsius
exegerat, propter illas literas intermitteret, quas infida-
tor Artaldi præfulis exhibebat: imo quod regulariter co-
ptum fuerat, canonice pertractaretur. Sicque præceptum